

effigies sacrae locum mutassent, nihil tamen de officio suo animi religio perdidisset, quominus illi ubicunque inventos adorarent quos apud se colere consuissent.

In foro p. R. et reliqua.

Senatores hac in parte proscindit, quibus exprobrat infamiam iudiciorum, quod in foro libere et sine metu magistratum furta publicentur, ubi damnari potius oporteret.

§ 60. Mercator signorum publicorum tabularumque pictarum missus est.

〈Μετ'〉 εἰρωνείας καὶ κατὰ συγχώρησιν infertur hic quaestio στοχαστικοῦ ζητήματος. Nam cum sit coniecturaliter tractaturus omnia illa non emisse C. Verrem, sed diripuisse, concedit interim per qualitatem, quasi emisse concedat, et hoc, magistratui Romano per provincias agere 〈licere〉 mercaturam. Verum post haec ἄτεχνος πῖ- 15
στις opponitur, inartificialis probatio, de citatione tabularum, in quibus emptio non inveniretur.

§ 62. Quo facilius ad Siciliam possim.

Oratorie simulat ad principalem causam Siciliae, de qua sine dubio dici oportet, se festinare, nimirum, ut quaequae retro ἐκ τῆς παρασκευῆς dicta sunt et altius ad praeparandum repetita, necessario dixerit, non studio loquacitatis ingesserit.

§ 63. Oppidum est in Hellesponto Lampsacum.

Alta ἐπιδηγήσις. Utcumque praesentis causae ratio postulavit, videmus ele . . .